Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26369
Copyright: Admont, Benediktinerstift

rore etc. In bellis autem aggrediendis et gerendis principium est victorie decernendi, ideo quam decertandi fortitudo. Et propter hoc Tullius dicit quod qui fortitudinem civilem fortitudini militari preposuit dicens: Cedant arma toge, concedant laurea lingue etc. ¶ Tertium vero genus fortitudinis quod est compositum ex utraque, scilicet ex fortitudine civili et fortitudine militari, laudabilissimum et perfectissimum est.

Capitulum xix. De sex speciebus et officiis fortitudinis civilis.

Igitur virtutes fortitudinis civilis que ad administrationem et administratores rei publice pertinent, sex sunt officia. ¶ Primum est se non vocatum non ingerere et vocatum non renuere. Et hoc fit per virtutem equanimitatis. Et est equanimitas virtus honores condignos oblatos non fugiens et non oblatos non rapiens. Unde dicit Plato, ut narrat Tullius, quod qui contendunt inter se uter administret rem publicam, simile periculum rei publice inducunt ac si naute inter se certent quis eorum navem gubernet aut quis preter gubernantem remos trahat. ¶ Secundum est non propriam et privatam sed publicam et communem utilitatem intendere et ad illam omnia facienda referre. Unde dicit Tullius ibidem quod sicut tutela pupillorum, ita et procuratio rei publice inventa est ad utilitatem eorum qui commissi sunt et non eorum qui commissionem susceperunt. Et hoc fit per virtutem fidelitatis. ¶ Et est fidelitas virtus commodum proprium alieno incommodo non preparans.

¶ Tertium est totam rem publicam equaliter curare, ne dum partem unam solum curant alia in cautē deserant. Unde dicit Tullius quod administratores civitatum qui parti civium consulunt et partem negligunt perniciosissimam in civitates seditionem inducunt. Unde fit ut partes in civitatibus oriantur, ita ut alii populares, alii meliores vocentur, et sic quidam illorum, [+ sint] alii istorum, pauci vero vel nulli universorum. Ad quod precavendum omnes cives quilibet in suo statu et iure et dignitate sunt equaliter conservandi. Hoc autem fit per virtutem communitatis. ¶ Et est communitas virtus sine alicuius preiudicio ad omnes equaliter se habendi. Cuius virtutis officium est amantes nos et odientes benivolos et invitos equaliter in suis iuribus conservare. Unde Seneca dicit in ii. de beneficiis: Pulcherrimum opus est invitos nolentesque servare, quemadmodum rogantibus amicis pestifera largiri blandum odium constat. Propter quod idem Seneca dicit in tragediis quod nimius amor odit videlicet. Quia superfluus amor quemadmodum tussit in odium aliorum et tandem redundat in perniciem omnium. Unde dicit Seneca in ii. de beneficiis quod tutius est quosdam aliquando offendere quam eos demisisse. ¶ Quartum est rem publicam in statu suo bono ponere et conservare. Unde dicit Philosophus in libro de motu animalium quod civitas legibus bene et recte posita sic se habere debet ut postquam semel ordo vivendi in ea fuit stabilitus non oporteat singulos de singulis admonere cottidie. Sed quilibet sua s